

903.

1286.

Warnhem.

Biskop BRYNULFUS i Skara bref på 40 dagars aflat för dem, som på vissa högtider besökte Predikare munkarnas klosterkyrka i Sigtuna.

A. 3. c. 9.

BRYNULFUS miseratione diuina, Scarensis ecclesie episcopus, Dilectis sibi in christo filiis. Priori. & fratribus ordinis predicatorum in conuentu Siktioniensi, salutem in domino ihesu christo, Licet is de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne & laudabiliter seruiatur, de habundancia pietatis sue, que merita supplicum excedit & uota, bene seruientibus multo maiora retribuatur quam valeant promereri, Nichilominus tamen cupientes populum domino reddere acceptabilem, christi fideles ad complacendum ei, quasi quibusdam premiis illectiuis, indulgentiis videlicet & remissionibus inuicemus, Vt exinde reddantur diuine gracie apciores, Vt igitur ecclesia vestra congruis frequentetur honoribus, omnibus vere contritis & confessis, qui eandem ecclesiam in die parasceues ob reuerenciam saluatoris nostri crucifixi, & in vtroque festo sancte crucis, & in singulis festiuitatibus beate marie semper virginis, & beate marie magdalene atque Katerine, & vndecim milium virginum, & in sollempnitatibus beatorum confessorum Augustini episcopi & Dominici, ac beati Petri martiris, Necnon & in secunda die natiuitatis domini, Pasche & Pentecostes, ac per earundem festiuitatum seu sollempnitatum octauas cum reuerencia & honore visiterint. De omnipotentis dei misericordia & gloriose semper virginis matris eius marie auctoritate confisi, Quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis, annis singulis relaxamus. Datum Wernem Anno domini M^oCC^oLXXXVI^o.

Sigillet något skadadt.

904.

1286.

Wexiö.

Biskop ASSERS i Wexiö likalydande Aflatsbref för samma klosterkyrka.

A. 3. c. 10.

ACERUS miseratione diuina vexionensis ecclesie episcopus, Dilectis sibi in christo filiis, Priori & fratribus ordinis predicatorum in conuentu Siktioniensi &c. *lika med föregående N:o 903 till* Datum Vexio Anno domini M^oCC^oLXXXVI^o.

Sigillet bortfallet.

Sv. Diplom. II.

I